

Franckesche Stiftungen zu Halle

Christophori Cellarii Breviarium Antiquitatum Romanarum

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1778

VD18 13038508

Caput XI De Ludis Romanorum eiusque

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-195671

diximus: plus Romanos litteris ad conseruandum imperium vfos esse, quam armis et legionibus.

CAPVT XI

DE

LVDIS ROMA-
NORVM

eiusque

SECTIO I

DE LVADORVM DIVISIONE
GENERALI.

§. 1.

Magna pars antiquitatum romanarum occupatur ludis et spectaculis. *Ludi* erant festi dies, quibus spectacula populo edebantur: vnde etiam ipsa *spectacula* ludi dicta sunt. Atque his romanus populus non modo maxime delectabatur: sed et alia causa suberat, quod deos placari ludis putabant. Vid. Cic. *cat.* III. c. 8.

§. 2. Ludi alii *publici* erant, qui maxima pompa pro salute ciuitatis aut ad demerendam populi gratiam instituebantur: alii *priuati*, quibus priuatim et inter amicos erant dediti.

§. 3. De publicis hoc loco agendum est, quorum varia fuerunt genera. Nos præcipua tantum et ea seligemus, quæ ad intelligendos scriptores, qui in iuuenum manibus sunt, maxime facere videntur. Et tales quidem sunt, quos pro-

proprie *ludos romanos* vocabant et *circenses*: porro ludi *scenici*, *gladiatorii*, *venationum* et *naumachiae*. Sit igitur

SECTIO II DE LVDIS ROMANIS SEV CIRCENSIBVS.

§. I.

Ludi romani erant antiquissimi: de quibus ad Eutrop. l. I. c. 1. aliquid diximus. Sunt, qui ipsos *circenses* putant fuisse. *Circenses* ergo, ceteris antiquiores, vt Liuius l. VII. c. 2. testatur, dicebantur a circo, qui maximus cognominatus est ad differentiam aliorum: in rotundo enim vrbis spatio curribus certabant, circa metam septies currendo ita, vt ad illam non offenderent. Vide interpretes ad Horatii l. I. od. 1.

§. 2. Numerus dierum incertus est, Ciceronis ætate quatrimum illis dabatur. Philipp. II. c. 43. Plures postea videntur adiecti, quia Plinius l. IX. ep. 6. n. 1. *omne hoc tempus* dicit, quo sane plures dies significantur.

§. 3. Vanitatem circensium ex eadem Plinii epistola cognosces. *Miror*, inquit, *tot millia virorum tam pueriliter idemtidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur; esset ratio nonnulla: nunc fauent panno; pannum amant.* Pannum dicit tunicam ex panno certi coloris factam: quo in quatuor factio-

nes,

nes, qui circensibus certabant, diuidebantur. Factiones a coloribus dictæ, *veneta, prasina, alba, ruffata*: et secundum has etiam studia populi diuidebantur, et sæpe mordicus inter se de fauore factionum decertabant. Exempla circensium sunt apud Suetonium *in Iulio c. 39, Calig. c. 18, et Ner. c. 11*. Factionum autem exempla apud eundem *in Domit. c. 7, Vitell. c. 14, Calig. c. 55*: Plin. *l. vii. c. 53, et l. viii. c. 42*: et in multis inscriptionibus.

SECTIO III DE LVDIS SCENICIS,

§. I.

Hi ludi sunt vel *comædia*, vel *tragædia*. A Græcis originem habebant; quorum noti sunt comici tragicique poetæ. Apud Romanos autem eo anno recepti sunt, quo primus consul ex plebe creatus. Liuv. *l. vii. c. 2*.

§ 2. Erat *comædia* vel *vetus*, vel *noua*: sic apud Græcos Romanosque distincta. Illa erat licentior, dicacior impudentiorque: hæc modestiæ plus præ se ferebat. Vide de hac distinctione Cic. *de off. l. i. c. 29*: et Horat. *l. i. sat. 4. v. 2*. Quamuis autem hæc modestior elegantiorque esset: tamen etiam postea ex veteri aliquid admixtum fuit; præferrim in atellanis, quas vocabant, *comædiis*, quod dixerunt *exodium*. Liuv. *l. vii. c. 2*. Sueton. *in Tib. c. 45*: Calig. *c. 27*: et Ner. *c. 39*.

§ 3. Locus erat theatrum, distinctum forma ab amphitheatro. Plura autem theatra erant,
ab

ab auctoribus nominatim distincta: vt Marcelli, apud Suet. *in August.* c. 29; Pompeii, *ibidem* c. 31; Scauri, apud Plinium l. xxxvi. c. 15; Curionis, apud Cic. l. viii. ep. 2. n. 4.

§. 4. Multa vanitas in theatris fuit, vt Cicero etiam l. vii ep. 1. ostendit: multa impietas, ob quam comediae priscis Christianis detestatae sunt. Tertullianus *de spectaculis* c. 10: *Theatrum*, inquit, *proprie sacrarium Veneris est.* Adde Minuc. Fel. c. 36: et Lactant. l. vi. c. 20. n. 27 seq.

§. 5. *Tragædia* a comediiis argumento et stilo distinguuntur. *Comedia* personas habent vulgares: dicendi genus humile, quod conueniat plebeiis. Soccis etiam utebantur, vt agiliores essent. Hor. *de arte poet.* v. 80. *Tragædiarum* autem argumentum triste est: quia regum et principum casus funestos proponunt; et quidem stilo grandi atque sublimi, vt magnates loqui decet. Cothurnis etiam personæ agebant, vt maiores et quasi ex heroum saeculo apparerent. Iuuenal. *sat.* 15. v. 29.

SECTIO IV DE LVDIS GLADIATORIIS.

§. 1.

Omnium nobilissimi apud Romanos et populo etiam gratissimi ludi erant, quibus gladiatorum paria multa in amphitheatro (olim etiam in foro et vicis) committebantur.

§. 2.

§. 2. Erant autem *gladiatores* vilissimi homines vel ex captiuis ad hoc studium allekti: vel, si ex ingenuis essent, propter perditos mores et decoctam rem familiarem compulsi se lanistæ vendiderant. *Lanistæ* autem erant, qui docebant in arte gladiatoria: ipsique rursus magistratibus iam exercitatos gladiatores vendebant, ut in publicis ludis centum aut ducenta paria ad pugnandum sisterentur. Sen. *de benef.* l. vi. c. 12.

§. 3. Locus, ubi docebantur, *ludus* dictus singulari numero; *ludi* autem plurali sunt ipsa spectacula. Cic. *cat.* ii. c. 5. Locus, ubi pugnabant, vel forum, vel vicus olim erat: quum in virorum illustrium funeribus tantum gladiatores exhiberentur. Lin. *epit.* 16. Postea hi ludi in amphitheatro sunt editi: circumcirca gradatim sedentibus, qui spectabant. Suet. *in Tib.* c. 7. Medius locus *cauea* dictus: etiam *arena*, quia arenis congestus erat. Virg. *Aen.* l. v. v. 340: et Tac. *hist.* l. ii. c. 62. n. 4.

§. 4. Ante meridiem armis lusoriis, id est, ligneis pugnabant: post meridiem decretoriis, id est, acutissimis et ad letalia vulnera paratis. Cic. *de orat.* c. 78. et 80. Quando sic paria componebantur, non ante spes liberationis erat, quam aduersario interfecto: sed ne tunc quidem semper missio secuta est, sed victor interdum cum alio recente componebatur. Laet. l. vi. c. 20. n. 12. Signa erant *pollicem premere*, aut *conuertere*. Pressus populi pollex, signum gratiæ erat et liberationis: *conuersio pollicis* signum, quo po-

populus cadentem interfici iubebat. Plin. l. xxviii. c. 2: Iuven. *sat.* 3. v. 36: et Prud. in *Symm.* l. ii. v. 1098.

§. 5. Varia genera erant gladiatorum pro armorum diuersitate. Quidam dicebantur *thraces*: alii *mirmillones*: alii *laquearii*, qui cum *secutoribus* componebantur: alii *hoplomachi*. De quibus omnibus præclare et copiose scripsit Lippius in *saturnalibus* l. ii. c. 7 *seqq.*

§. 6. Mirandum sane est, tam sæuum et crudelem morem tam impense a cultissimo Romanorum populo amatum fuisse et in summis habitum deliciis. Cicero quidem *tusc. qu.* l. ii. c. 17. excusat, quod tali spectaculo iuuentus ad fortitudinem bellicam animetur: præsertim si noxii et perditii, aut damnati etiam adhiberentur. Verum hæc non sufficiunt ad moris crudelitatem mitigandam: quum impium et inhumanum sit, etiam iusta supplicia de fontibus fumere oblectationis causa; et, si fortitudo virtus est, vii est, non ex malis et vitiis nutrimentum suum habere debeat.

§. 7. Præmium gladiatorum, qui aliquot congressionibus bene pugnauerant, *rudis* erat seu *virgula*: quæ signum liberationis erat ex ludo gladiatorio. Hinc dicebantur *rude donati* apud Horat. l. i. ep. i. v. 2: et Ouid. l. ii. *am. eleg.* 9. v. 22. Qualis autem illa et cuius arboris virgula fuerit, non satis expressum est. Cic. *pro Rosc. amer.* c. 6. palmæ facit mentionem. *Plurimarum*, inquit, *palmarum* *vetus ac nobilis gladiator.*

§. 8. Mille sunt translationes et loquendi formulae

mulæ

mulæ apud Latinos ex ludis petite gladiatorii: ut sunt, *petitiones obiectas vitare, declinatione corporis effugere*, apud Cic. *cat. l. i. c. 6.* Ut autem petere gladiatorium verbum erat: sic etiam *repetere*, hoc est ictum geminare, apud Lactant. *l. vi. c. 20. n. 12.* Vnde in cæde Caligulæ signum erat et resera: *repete.* Suet. *in Calig. c. 58.* Adde Cic. *tusc. qu. l. ii. c. 17.* et *pro Sextio c. 37:* ubi occurrit *ferrum recipere.* Tales formulæ etiam erant, *hoc habet*, aut simpliciter *habet*: item *loco motus est*: item *componere paria.* Vide, quæ ad Prudent. *psych. v. 53.* notauimus, et ad Cic. *l. ii. ep. 8. n. 1.*

§. 9. Tam inueteratus hic mos tam in vrbe, quam in prouinciis fuit, ut ægre a christianis etiam imperatoribus tolli potuerit. Vide Prud. *in Symm. l. ii. v. 1113 seq.*

SECTIO V

DE

VENATIONIBVS.

§. 1.

Venationes erant etiam ludorum genus: non in siluis, sed in vrbe exercitæ. Vndique conquirebantur belluæ ex Africa et Asia, et spectante populo conficiebantur. Cic. *l. ii. ep. 11. n. 3.* et *l. viii. ep. 2. n. 14. ep. 9. n. 7.* et Suet. *Calig. c. 18.*

§. 2. Damnatos etiam in ludis huius generis obiciebant belluis, qui *bestiarum* inde dicti. Cic. *in Vat. c. 17.* Sen. *de benefic. l. ii. c. 19.* Addita nonnumquam his venabula sunt: ut, si possent,
(*Cellarii antiquit.*) H se

se a faucibus belluæ defenderent; illaque interfecta a reatu absoluerentur. Hunc ludum bestiarium Seneca vocat *ep.* 70.

SECTIO VI DE NAVMACHIA.

Navigationes etiam ludicræ: quæ in speciem belli, non in mari; sed in vrbe aut iuxta illam in effosso lacu edebantur. De his sæpe Suetonius: vt in *Cæs.* c. 39. et 44, vbi edidisse naumachiæ spectaculum dicitur. Et de *Augusto* c. 43: *Nauale*, inquit, *prælium circa Tiberim cauato solo edidit.* Et de *Domit.* c. 4: *Edidit nauales pugnas pene iustarum classium, effosso et circumstructo circa Tiberim lacu.*

CAPVT XII DE VESTITV ROMANORVM

eiusque SECTIO I DE VESTIBVS VIRORVM.

§. I.

In vestibus Romanorum præcipua et quasi propria erat eaque exterior, quæ *toga* vocabatur: